



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Ordo Hvivs Partis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

P R Æ F A T I O .

ralem proponas in regulam , ad quam velis omnem vita tua usum exigere , in ea quippe docet rectâ pergere , nec declinare ad dexteram neque ad sinistram : morum disciplinam tradit non relaxatam , neque plus aequo , sed mediocriter restrictam . Cæterum sic eam discas , ut quod optabat Seneca in morum pedagogo , quæ fuerint verba , sint opera : invenies in ea circumspiciens , quò sit tendendum & quâ non sine perito aliquo , cui explorata sint ea in quæ tendimus . Neque enim Aquinas noster ille est , cujus (ut loquitur Salvianus) lectionem tantum habemus , vitam non habemus : prius enim in seipso legit quæ postea scripsit ; præcepta aliis tradidit , quæ à se tanquam ab exemplari didicit ; atque id unum antequam doceret spectavit , quâ ratione viveret , ut ostenderet cæteris quâ lege vivendum esset . Hoc est (Amice Lector) quod , ut cæteras hujus Ethicæ dotes taceam , eam citra cujusque injuriam aliis omnibus anteponendam probat ; ipsiusque securitatis argumentum vix aliud majus proponi potest , quàm quòd vitæ præceptoris per omnia sanctissimi regula fuerit . Moralem ergo accipe , & lege ; in qua non tam Doctoris Angelici præcepta , quàm Angeli exempla videns , non tam disputare , quàm vivere docearis .

ORDO HVIVS PARTIS .

POSTQUAM D. Thomas in prima parte Summæ Theologicæ , Deum ut in se unum & trinum , rerumque omnium creaturarum principium , consideravit ; mox illum ut finem ultimum creature rationalis contemplatur , & tractat de mediis ad ejus assecutionem conducentibus . Sed quia hæc media duplicis sunt generis ; quadam enim ex natura rei , alia verò ex beneplacito tantum & institutione Dei , ad beatitudinem sunt necessaria ; de primis in secunda parte , de aliis verò (Incarnatione scilicet & Sacramentis) in tertia differit . Cui ordini inherentes , in hac secunda Clypei Theologia Thomistica parte agemus primò de ultimo fine hominis , ejusque beatitudine : deinde de mediis , tam naturalibus quàm supernaturalibus , ad ejus assecutionem intrinsecè necessariis , scilicet de actibus humanis , tam in esse physico quàm in esse moris consideratis : de virtutibus moralibus , quæ sunt ipsorum principia ; nec non de vitiis & peccatis oppositis , cum eadem sit scientia contrariorum . Demum de gratia , quæ est principium extrinsecum & supernaturale actuum humanorum , & de virtutibus Theologicis , quæ sunt ejus proprietates , ab ea ut rivuli à fonte dimanantes , ex quibus homo ultimum finem & beatitudinem supernaturalem immediatius attingit , in fine hujus secundæ Partis differemus .

